
BALDERSLEBEN

IN FUNERE
B. W. PHRISII

HAFNIAE 1557

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

L. N. 374.
Trykt af Hans Wingaard.
(Findes ikke i det Kgl Bibliothek). Sjælden.
46 - 259
4°
Box
LN 374
M
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Kay Holegs eks.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Epicedion in funere Bernardi Wigboldi Phrisii.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

IN FVNERE CLARISS: VIRI, D. BERNARDI VVIGBOLDI PHRISII GRONINGENSIS, LL: DOCTORIS ECCELLENTISS: *Regiæ Maieſtatis Daniæ a conſilijs, & inclytæ Academiæ Haffnienſis Conſeruatoris & Profeſſoris &c.* EPICEDION *in gratiam honeſtiſs. matronæ & Viduæ Magdalenæ Päiſſenn eiusq; uniuerſæ familiæ Flensburg: &c.* SCRIPTVM AB ANTONIO BALDERSLEBIO SANGERHVSANO CHERVSCO.

Luctiſonum Parcæ mirantes pollicis ictum,
Dum canis eximii triſtia fata uiri.
Turbatæ inſolito linquunt ſua ſtamina plectro,
Seq; tua uictas arte fuiſſe dolent.
Quis nouus iſte pias nobis rapit Orpheus umbras?
Heu noſter (clamant) ſic ſpoliatur bonos?
Sed fruſtra. Nam ſi uitam quis duxit honeſtam,
Phoebæa moriens fit rediuiuus ope.

Io. Petracius a Roſa Baionenſis.

Anno 1557.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Högs Samling
1970.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

NOBILITATE, VIRTV-
TE ET PRVDENTIA PRAESTANTI D.
ANDREAE ab Eûlenau, Sereniſs: Reginæ Daniæ &c.
Ornatiſſimoq; uiro D. GEORGIO Beyero Il-
luſtriſs: Ducis Holſatiæ IOANNIS &c.
Secretarijs, Dominis & ami-
cis ſuis.

S. D.

IVncte inculpatæ mihi conſuetudinis uſu
Andrea & patrij proximitate ſoli.
Tuq; Ducum Holſatiæ tractans Secreta GEORGI
Beyere ô numeris non reticende meis.
Bernardi en ueſtro iuſſu lugentia caſus
Tranſmitto imparib: Carmina facta modis.
Scilicet hic anſam mihi ceu porrexit uterq;
Audendi calamis talia forte meis,
Sic quoq; utrumq; decet (nam ſpectat culpa monentes)
Conſortem admiſsi criminis eſſe mei.
(Si tamen eſt crimen: Muſis committere laudes,
Heroum, quandò non benè cedit opus)
At quo quo genio, quacunq; incude profecta
Carmina de ſummi funere ſcripta uiri.
Sint ANDREA tibi tibi ſint commiſſa GEORGI,
Per uos inueniet noſtra Thalia decus,
Omine felici per uos Zephiriiſq; ſecundis
Sulcabit placidas noſtra Phaſelus aquas.

Haffniæ Menſæ Septemb:
Anno 1557.
V. H. dedit: Antonius
Baldersleben Sangerbuſanus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

SINGVLARI VIRTVTE ET PRVDENTIA ORNATISS: VIRIS, D. FRANCISCO Holſtenio, Reip: FLENSBVRG: Conſuli, & D. IACOBO de VVeteringa Senatori & nobili integerrimoq; PAVLO Paijſenn, Vniuerſæq; familiæ honeſtiſſimæ matronæ & Viduæ MAGDALENAE Paijsenn &c. (quondam Doctoris BERNARDI coniugis) Dominis & amicis ſuis colendis.

S. P. D.

Corporis atq; animi donis non uilib. aucti,
Conſiltis celebres, iuſticiaq; Viri.
Otia ſi paucas uobis tribuuntur in horas,
Si uos non aliò publica cura uocat.
Sumite lugentis funebria Carmina Muſæ,
Quæ modo BERNARDI moeſtæ pheretra ſonant.
Sumite dignantes hilariq; euoluite uultu,
Sint hilari quamuis non ea ſcripta pede.
Flebilis ut ſtatus eſt, ſic eſt quoq; flebile Carmen,
Conueniunt querulis ſcilicet iſta modis.
Si tamen & ratio factorum danda meorum,
Fortè duplex quæ me cauſſa tuetur erit.
Vel, quia Bernardus ueſtræ ſua nomina genti
Addidit, & domui gloria magna fuit.
Dignus & idcirco tali mihi uiſus honore,
Quem caneret numeris noſtra Camœna ſuis.
Vel, quia me toties uerbis Eulnôus amicis
Aggreſſus, ſuaſor carminis ipſe fuit.
Sæpeq; VVigboldi perſtringere funera uerſu,
Iuſſit, & Aonio condere fata ſtylo.
Quid facerem? Andreæ cur nam parere recuſem?
Illi me promptum qua ratione negem?

Obſe-

Obſequor, & precibus uictus mandata capeßo,
Conſcius ingenij quantula uena mei.
Paucaq; diſparib: coniungo carmina neruis,
Auſus luctificæ plectra ciere lyræ.
Et ſic defuncti non fictas ordine laudes
Complexus, fama commemorante, fui.
At licet egregie ſe commendauerit ipſum,
Vt non alterius laudis egere putem.
Viuus & elogium ſibi conciliarit in æuum,
Moribus, eloquio, relligione, fide.
Sunt grauiora tamen, ſi talia nempe Pöetæ,
Carminib: poliunt ſplendidiora ſuis.
Quod cum non humili poßim præſtare Thalia,
Gratia num fuerit Verſib: ergo minor?
Quin: bene tentanti non detrectare fauorem,
Officium ingenuæ dexteritatis erat.
Non igitur uobis ſit noſtra inuiſa uoluntas,
Virtute inſignes & pietate uiri.
Carmine ſi nequeo ſummos æquare Marones,
Vates poſtremæ claßis habendus ero.
Eſt aliquid ſterili terra creuiſſe racemum,
Qui cum non poſſit ſurgere, ſerpit humi.
Ergo propenſis animis oblata probantes,
Accipite hæc grata qualiacunq; manu.
Sic DEVS in patriæ uos longum ſoſpitet uſus,
Cunctaq; ueſtra ſuo numine cœpta iuuet.

Haffniæ 6. Septemb:
Anno 1 5 5 7.

V. H. addictiß: Antonius
Balderſleben Sangerhuſanus.

IN FVNERE CLARISSI-MI VIRI &c. D. DOCTORIS BERNAR-DI VVIGBOLDI PHRISII. EPI-CEDION PER A. B. S.

ERgonè ſic ſemper fatalia numina Parcæ
    Impunè eximios tollitis orbe uiros.
Vſq; adeò ueſtræ maleſida potentia legis
    Perpetuo humanas uerſat agitq; uices ?
An nihil incoeptum poterit cohibere furorem ?
    An nihil hic quod uos flectere poſſit erit ?
Crudelis Lacheſis, tuq; ô anus improba Clotho,
    Atropos & tu quæ ſoluis iniqua colum.
Quàm nimium uobis ſunt diſſona nomina reb:
    Parcere quam ueſtræ non didicere manus.
Vos ſine delectu ſperatæ frugis ephebos,
    Vos ſimili rapitis conditione ſenes.
Nec nitidæ quidquam formæ uos dona morantur,
    Stemmata diuitijs nec comitata ſuis,
Cedit canicies uobis ceditq; iuuenta,
    Nil uobis robur nil trepidatur honos.
Omnes ætherea ſpoliatis duriter aura,
    Quoslibet & per uos mors homicida necat.
Fortè ferenda foret tamen iſta potentia, ſi non
    Sæpius aufferret pernicioſa bonos.
Quo quiſquam eſt melior, uitiorumq; acrior hoſtis
    Hoc citius fato præueniente cadit.
Tantum gaudetis miſeranda ſtrage proborum,
    Tantum ſueuiſtis tollere morte pios,
Scilicet exemplis non paucis iſta probantur:
    Et nimium uobis hic licuiſſe queror,

En

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

En iacet en ueſtri nota maxima nempè furoris
VVigboldus Phriſijs nomen honoſq; ſuis.
En iacet extinctus, nec celſo pectore uirtus
Profuit, aut ſanctis uita peracta modis.
Dicite lanificæ, temeraria turba, ſorores
Quid uos hic auidas ſuaſit habere manus?
Cur nam non æquo labentib: ordine fatis
Bernardus mortem iuſsus obire fuit?
Num ſatis eſt uobis terra uixiſſe putatus?
AEtatis ſeptem qui modo luſtra tulit.
Num iuſti contemptor erat, ſpretorq; Deorum?
Cui recta nemo par pietate fuit.
Dicite, commiſit ſi quid uir clarus & inſons,
Dicite rupiſtis quæ fera fila Deæ.
Ah nullum ſceleri noſtis prætendere fucum,
Hic nil quo purget ſe malus error habet.
Difficile admiſsam uerbis defendere culpam,
Nititur infirmo cauſsa maligna pede.
Quæ uobis igitur parta eſt hac clade uoluptas?
Quæ nam commoditas hinc rogo nata fuit?
Nulla: Sed inuidia eſt quæ uos immaniter urget,
Hac ſinitis præſtans nil ſupereſſe diu.
Tot uomicæ uiuunt hominum peſteq; Tyranni,
Totq; Epicuræi, ſpurca caterua, ſues.
Innumeros cur nam florent hæc monſtra per annos,
Monſtra uel in cunis digna perire ſuis?
Iſta tenebroſum cur non damnatis ad Orcum,
Et ſinitis longum uiuere poſſe bonos?
Sed nimis eſt uerum, tritum uulgiq; loquelis:
Peſſima quod maneant, & meliora cadant.
Ah malè ſit uobis Parcæ cum legib: iſtis
Quæ reprobis adeò, iure uetante, fauent.

Quid

Quid uerò ſceleris quid uos patraſſe putabo,
Vel cuius peragam criminis uſq; reas?
Dum ſic feciſtis ſummis Virtutib: auctum
Carpere lethiferum tam properanter iter.
Heu quas exigerem non forma ſimplice poenas,
Copia uindictæ ſi foret ulla meæ.
Pròh quam uos turpes uetulas, ſagasq; malignas
Vltrici uellem corripuiſſe manu:
Proh quam rugoſo laniare à uertice crines,
Quàm uellem fuſos frangere, penſa, colum:
Quàm benè pertuſis quam latè hinc inde rotatis,
Fuſtibus impurum diminuiſſe caput:
Deniq; mille modis tortura, carcere, uinclis
Vexatas, Herebi uos cruciare focis.
Sed fallor: Nihil eſt fera fata laceſſere dictis,
Nec tutum in tantas iurgia ferre Deas.
Blaſphemæ porrò ceſſet petulantia linguæ,
Vertanturq; altò carminis arma mei.
Vos igitur ueſtrum cur non ſeruaſtis alumnum,
Muſæ Aganippæi numina docta chori?
Illum quid iuuit uos tot coluiſſe per annos,
Artibus & ueſtris exeruiſſe caput?
Si minus hic ceſſat rigidi inclementia fati,
Et mors tantundem iuris habere poteſt?
Vana queror demens: per uos non iuit ad umbras,
De uobis uitam ſed magis ille tulit.
Nam ſi mortali uixiſſet corpore tantum,
A Stygiis illi nil ſupereſſet aquis.
At nunc ſeruatus uobis non totus obiuit,
Parte ſui uiuus quin potiore manet.
Omnia ſunt mortis, ſed uirtus ſola ſuperſtes
Parcarum ſuperat laude uirente manus.

Muneris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Muneris hoc ueſtri eſt, qui ſic poſt funera uiuit,
Quæ uenit hic uerè uita uocanda uenit.
Illius ingenuas uiget inclyta fama per artes,
Gloriaq; infeſtis non peritura rogis.
Hicq; ſibi Clarijs nunquam delebile Muſis
Aeterna peperit poſteritate decus,
Quidquid habent artis Latiæ Graiaq; Camœnæ
Ingenio totum caluit ille ſuo.
Alite felici linguam cognouit utramq;
Et promptè potuit doctus utraq; loqui.
Seu filo iuuit connectere uerba pedeſtri,
Fluxerunt numeris carmina ſponte ſuis.
Seu placuit formis oratio texta ſolutis
Iuraſſes ipſum uel Cicerona loqui.
Nouerat arcanas naturæ reddere cauſſas,
Cur ſeruent tales illa uel illa uices.
Labentis certæ cur partes quattuor anni,
Cur breuis exiſtat cur modo longa dies.
Qualib: Hippotades uentos exibilet antris
Frigida cur Boreæ flabra ſed uda Noti,
Quid crepitet grando, quid mixti grandine Nymbi,
Cur ſit brumali conſita terra niue.
Quæ ſalſugo maris, cur ſenis defluat horis
Horaq; ſpumantes ſexta refundat aquas.
Quid faciat nubes celeri ſic igne coruſcas,
Quid cudat ſupero tela triſulca Ioui.
Diſcolor incuruo quid ſe Taumantias arcu
Proferat, æthereis conſpicienda plagis.
Quid ferat Arcturus, gladio quid cinctus Orion,
Cunctaq; fulgenti ſigna notanda polo.
Quare terrificus ferali crine Cometes
Spectetur magni nuncia ſtella mali.

Cur piceo Phœbi uultus ueletur amictu,
Lunaq; cur fuſcis contenebretur equis,
Menſtrua nec proprio ſed fratris palleat igne,
Cur modo decreſcens, cur modo plena micet.
Sciuit quæ toto lucent animalia coelo
Quo pacto exurgant ſydera quoue cadant.
Et quæ præterea condit diuina Mathesis
Rimatus ſemper nocte dieq; fuit.
Diuitis ingenij uis nil linquebat inauſum
Quod forſan dignum cognitione foret.
Ad ſtudium quoduis nam fertile pectus habebat,
Et fautrix omni parte Minerua fuit.
Vera loquor: biſſili ſinuoſa uolumina Iuris
Ceû digitos tenuit cognita penè ſuos.
Sic ut uel ſtadio ſummos æquarit eodem,
Illius & fermè hoc tempore palma foret.
Hic nihil hunc latuit, nihil hac non arte tenebat,
Præcipua hinc clara nomina laude tulit.
Gallia teſtatur, teſtatur & inclytus Albis,
Nec non Italiæ Roma ſuperba caput.
Senarum meruit titulos Doctoris in Vrbe
Et ſtudij precium rubra Tyara fuit.
Tum celebris quanta ſit ſedulitate profeßus,
Cum docuit leges Iuſtiniane tuas.
Haffnia ueliuolo dicet contermina ponto,
Dicet & illius concio tota Scholæ.
Multis doctrina multis tulit ære iuuamen,
Quod potuit cunctis profuit arte, fide.
Non erat Aônidum quiſquam ſtudioſior alter,
Prodigus in Muſas nec magis alter erat.
Præcipuè uerò ſacra quæ lege iubentur,
Cenſebat primo ſemper habenda loco.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Officijs homines, ſuperos pietate colebat,
Nilq; fuit uera relligione prius.
Hoſtis auaritiæ atq; expers liuoris, in omnes
Comis, & afflictis extitit ille parens.
Nulla ſupercilij metuendi ſigna gerebat,
Nec quidquam inflata mente ſuperbus erat.
Ille ſuam thalami ſociam conſtanter amabat
Semper in unanimi, ſed ſine prole, thoro.
Vnica perpetuo uirtutum dote placebat
Magdalis, exili non oriunda loco.
Inq; uicem illa ſui flagrabat amore mariti.
Alter & alterius mutua cura fuit.
Deniq; totius ſic egit tempora uitæ,
Omnib: exemplo poſſit ut eſſe bonis.
Lætata eſt tali, dum uixit, ſemper alumno
Phriſidos ingenijs ora beata ſuis.
Quid memorem ut fuerit magno cumulatus honore,
Regib: & charus principibuſq; uiris?
Cæſaris auſpicio nomen ſortitus equeſtre
Auctius efficit nobilitate decus.
Hincq; inſigne tulit, ueniens quo gaudeat hæres:
Premia uirtutem ſcilicet iſta decent.
Regis & emeruit, fama laudante, fauorem
Qui tenet Arctois Danica regna plagis.
Illa uix habitus potior fuit alter in aula,
Fermè erat hic, ſummo munere functus, apex.
Ampla hic confecit non paruis munia curis,
Hic dedit eloquio commoda mille ſuo.
Siue fuit Ducib: ſeu miſſus fortè Monarchis,
Seû res geſta domi, ſiue peracta foris.
Exhauſit quoſuis infracta mente labores,
Impiger inſultus quoslibet ille tulit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Ingenua ſeſe dum dexteritate probare
Et non culpata nititur eſſe fide.
Tractabat quoties dicendo negotia Regis,
Facundo prudens pectore Neſtor erat.
Inſtuit attonitæ quandò quis ſcrupulus aulæ,
Præſto conſilijs, utilis ore fuit.
Tam ualuit lingua quam rerum excelluit uſu,
Vt dubites, quod nam nouerit ille magis.
Cumq; ita certatim polleret dotib: iſtis,
Non regno exiguus ſplendor honoſq; fuit.
Quid querar? at nihil his crudelis Parca mouetur,
Quæ priuat tantis regna ſuperba uiris.
Eſt ſita Vandalicis regio uicina colonis
Quà furit inſtabili Balthica Thetys aqua.
Bucephali multa toruos atredine uultus
Iactitat in clypeis, ſigna uetuſta, ſuis.
Priſca Obetritorum ſedes & patria genti
Magnopolis, Græco nomen adepta ſono.
Has nimis infelix tandem ablegatur in oras
Miſſus ad excelſos, Rege iubente, Duces.
Hic benè commiſſas dum res induſtrius urget,
Atq; ſui domini ſuſtinet ille uices,
Infirmos, citra ſpem, languor corripit artus,
Neſcio quæ morbi cauſſa latentis erat.
Sic ægro geminos decumbit corpore Soles,
Inq; magis creſcit morbus & inq; magis.
Auxilium fruſtra medica depoſcitur arte,
Non fert hic Delos, non Epidaurus opem.
Nec mora, proſtratus cum uirib: omnib: eſſet,
Atq; ſalus uita nulla cadente foret:
Ad cœlum ſeſe matura mente parabat
Suſpirans patriæ tecta beata nouæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Erratis ueniam poſcit, ſacramq; ſynaxin
    Propitio ſumit tum pius ille Deo.
Totus & intentus precib: te CHRISTE uocabat,
    Iſtaq; poſtremò uox morientis erat.
Nate DEI, domitor Sathanæ, mundiq; redemptor,
    In quo uel media uiuere morte datur.
Venit ſumma dies & ineluctabilis hora
    Qua ſubeam meritæ triſtia iura necis,
Pareo: nam fluxæ coepit me nauſea uitæ,
    Non eſt ulterius quod ſupereſſe uelim.
Sum ſatur iſtius, tantillo tempore, mundi
    Ad ſuperos cupio nil niſi abire lares.
O igitur bone CHRISTE mihi tu deme reatus
    Ob merti quæſo pondera ſola tui.
O miſerere mei, rogo te miſerere precantis,
    Ne fiam Stygio danda rapina lupo.
Tu nunc pacato ſontem me reſpice uultu,
    Nec tibi fidentem deſeruiſſe uelis.
Me tibi commendo, tibi memet porrigo CHRISTE
    Da tecum in regnis uiuere poſſe tuis.
Hanc animam deſigno tuas moriturus in ulnas,
    Quæ ſacroſancto parta cruore tibi eſt.
Coniugis (addebat) tibi ſit quoq; cura relictæ,
    (Dicere quæ ſummus uerba coegit amor)
Illi, namq; meum ſuperat triſtiſſima fatum
    Auxilijs præſens conſpiciare tuis.
Et miſeros poſt me tu conſolabere luctus,
    O tutor uidui CHRISTE benigne gregis.
Dixit, & æthereas animam exhalauit in auras
    Nelidæ dignus uir ſuperare dies.
Pròh, uix octaui tereret cum limina luſtri,
    Heû nimium ſpatio concidit iſte breui.

Conſona præteritis mors uerò contigit actis,
Et clauſa eſt iuſtis uita probata modis.
Nam pius è terris in CHRISTO *ad ſydera ceßit:*
Exitus è uita ſcilicet iſte fuit.
Tu mihi teſtis eris, uerique grauißimus auctor
Bordinge ô medici maxima fama chori.
Et tu (namque ſimul fueras) præclare Georgi
O Richi præſtans relligione ſenex,
Omnib: iſta bonis pepererunt funera luctum,
Illaque mors cunctis cauſsa doloris erat.
Aula uirum fatis nimium properanter ademptum
Fleuit, namque decus perdidit orba ſuum,
Se ſenſit læſam pertriſti Academia ſorte,
Et faſſa eſt cladis uulnera tanta ſuæ.
Conqueſta eſt grauiter functum ſtudioſa iuuentus,
Nam fuit iſtius gloria ſumma ſcholæ.
Indulsit lachrimas illi Rex triſtior ipſe,
Iſtaque non læta funera mente tulit.
Et merito: Quis enim non publica damna queratur,
Nodoſum cuius cor niſi robur habet?
At nemo referet quantum moeſtißima coniunx
Lugeat in uiduo ſola relicta thoro.
Illius ex animo tangunt hæc funera pectus,
Hæc tandem uerè ſigna dolentis habet.
Nam minus haud proprium quàm quondam Portia Brutum
Diligit affectu teſtificante uirum.
Et uelut ablato triſtatur compare turtur,
Turtur legitimi ſuauis imago thori.
Sic iterat gemitus & dempto fine querelas,
Sic thalami ſocium deflet & ipſa ſui.
Hyphias haud tantum doluit Capanæa peremptum,
Hæmonis aut caſus Proteſilàe tuos,

Exigit illa ſuis lacbrimis noctesq; dieſq;,
    Et rapti queritur nil niſi fata uiri.
Aſpicias uultus exbauſtaq; lumina fletu,
    Candida non ſolitus purpurat ora decor.
Illa afflicta tibi lugubres ſumſit amictus,
    Et uitæ ſpeciem flebilioris agit.
Indignos lacerat turbata mente capillos,
    Liuentes crebro ſauciat ungue genas.
Diſcerpitq; ſinus, ferit & ſua pectora palmis,
    Seq; infelicem terq; quaterq; uocat.
Ah, quoties clamat, crudelia fata maritum
    Ah ah præſidium fata tulere meum.
Me miſeram, quòd ſic à tali coniuge uellor,
    Quòd ſic à membris diuidor ipſa meis.
Heu beu tam ſubita te mi uir morte peremptum,
    Heu beu tam properè te cecidiſſe queror.
Heu quod tu noſtris non expiraris in ulnis,
    Heu quod non licuit baſia ferre tibi.
Si poſſes redimi, ſi fortè redire ſub auras,
    Penſarem fatis tunc tua fata meis.
Fecit ut Alceſtis quondam dilecta Pheræo
    Cui fuit aſſerto coniuge uile mori.
Hoc quoq; pro te nunc facerem mortemq; ſubirem,
    Dummodo reſtitui uita ſepulta queat.
Ah nequit boc fieri, non es reuocabilis unquam,
    Conquerimur ſurdis ſcilicet iſta Dijs.
Ah quid agam ? qua ſpe, quo nam ſolamine uiuam ?
    Quandoquidem tecum mors ea cuncta tulit.
Soſpite te poteram ſoſpes quoq; & ipſa uideri,
    Nunc uideor functo te quoq; functa uiro.
Nam gemitus inter tabeſcit inutile corpus,
    Nam pereo lachrimis languida tota meis.

Te ue-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Te ueniente die te decedente requiro,
Semper in ore mihi eſt: Chare uir ah ubi es?
Chare uir ah ubi es, quis te mihi caſus ademit?
Heû ſine te quanta eſt uiuere plaga mihi.
Quin tuus in ſomno mihi nunc quoq; uultus oberrat
Sæpius, & coniunx (dicit) amica Vale.
Dumq; paro demens cupida contingere dextra,
Fallax amplexus deſerit umbra meos.
Sic miſeræ nil quam ſuſpiria moeſta relinquis,
Et deſiderium nil niſi triſte tui.
Hos tibi do gemitus, ô chare marite marite,
Ah quod non tecum me quoq; fata manent.
Quid te conſumis (quid prodeſt) foemina luctu?
Quid planctu torques anxia corda tuo?
Iure doles fateor, iuſta eſt tibi cauſſa querelæ,
Et tua conceſſus pectora moeror habet.
Hoc decet, hoc fas eſt, probat hoc natura Deuſq;,
Coniugis & ſunt hæc conſcia ſigna bonæ.
Sed tamen & meta eſt miſeris ſtatuenda querelis,
Atq; aliquem finem debet habere dolor.
Iam ſatis in triſtes collatum temporis horas,
Sufficit & luctus manib: iſte piis.
Deſine defunctum lachrimis urgere maritum,
Vlterius quaſo deſine uelle queri.
Nil gemitus faciunt ad rem: Spes nulla reuerti
Quos ſemel immiti funere Parca tulit.
Quin tibi depoſito clariſſima foemina luctu
Humanæ ſubeat conditionis opus.
Sub Ioue nil ſtabile eſt, concedunt omnia fatis,
Nemo expers toto funeris orbe manet.
Omnes debemus pereuntia corpora buſtis,
Sera alijs, alijs mors properata uenit.

Nec

Nec caſu morimur, ſed ſic diuina uoluntas
    Mandat quæ nullis ſtat uarianda modis.
Tempore quòd ſi non cecidiſſet uir tuus iſto,
    Morte tamen ſtratus poſt ueniente foret.
Nam mortalis erat, ſuperasq; ita natus ad auras,
    Vt rurſum ferret uita abeunte necem.
Neue putes ipſi iam nil à morte relictum,
    Quàm quod habet tectum triſte cadauer humus.
Soſpes agit coelo contemptor ſpiritus atri
    Funeris, inq; DEO gaudia uera capit.
Hic ſeſe mundi lætatur fece ſolutum,
    Humanæ ſordes deſpicit atq; plagæ.
Nec quidquam uitæ reditum cupit ille prioris,
    (Vita tamen ſi quæ noſtra uocanda fuit)
Nam ſcatet ærumnis Lerna hæc foecunda malorum,
    Nil niſi quam luctus moeſtitiamq; parit.
Erige te quæſo, & læta ſpem concipe fronte,
    Non eſt perpetuum quod modo uulnus habes.
Tempus erit quo tu rurſum potiere marito,
    (Si credis) gemitu libera facta tuo.
Et ueterem cum tu pariter renouabis amorem,
    In chari amplexus rurſus itura uiri.
Iſta tibi minuant, nequeunt ſi tollere luctus,
    Diluat & curas pagina ſacra tuas.
Hæc tibi monſtrabit tolerandi exempla doloris,
    Et te quid deceat commonuiſſe poteſt.
Hac ratione tuo lenteſcet pectore uulnus,
    Cedet & oblitis moeſta querela malis,
Transigere in fletu reſides quid te iuuat annos?
    Eneruet uires cum ferus iſte dolor.
Non eſt deflendus quem ſic bona fata tulerunt,
    Vt poſthac uiuat proſperiore loco.

Terge tuas lachrimas placidè & gratare ſepulto,
Neue tuo inuideas commoda tanta uiro.
Syderei ciuis namq; aſtra frequentat Olympi,
Ambulat & pedibus nubila regna ſuis.
Quemq; pio moriens animo linguaq; uocauit
In CHRISTI gremio præmia digna legit.
O anima ô felix, totoq; ex aſſe beata
Cui uacuæ noſtris contigit eſse malis.
Atria quæ calcas superûm, & coeleſtib: aſtas
Conſilijs uiuo perfruerisq; DEO.
Sit tibi ſic requies, tibi ſit placabile coelum,
Geſtiat Angelicus ſic tibi ritè chorus.
Hanc tibi nos toto gratamur pectore ſortem,
Quæ non eſt ullis æquiparanda bonis,
Candida defuncti tibi corporis oſſa quieſcant,
Atq; ſub hoc buſto molliter illa cubent.
Perpetuò maneat clariſsima fama ſuperſtes,
Et uolet immenſo nomen in orbe tuum
Donec erit doctis ſua gloria danda Camoenis,
Virtuti donec contribuendus honos.

EPITAPHIVM.

MVſarum decus, & cultiſsima gloria fandi
Bernardus iacet hac contumulatus humo,
Quo pietate prior, quo uix ſeruantior æqui
Extitit, aut legum clarior arte fuit.
Gallia ſcit, ſcit Roma, nec inficiabitur Albis,
Senaq; Doctori quæ dedit ipſa gradum.
Magnus habebatur Danorum Regis in aula
Conſilijs, lingua, dexteritate, fide.

Donec

Donec in has miſſus non fauſto ſydere terras,
Ccyus auertit de ſt.ticne pedes.
Scilicet octaui cecidit ſub limine luſtri,
Grandius hoc fecit non Libitina neſas.
Ad uada Vernouij ſeruatur corpus in urbe,
Spiritus ætherææ gaudia ſedis habet.

NVMERVS ANNI, MENSIS ET DIEI OBITVS CLARISSIMI VIRI.

&c.

SeXta bIs aC bIs qVarta VbI LVX affVLget aprILIs,
Ab neCe bernartVM ferrea parCa tVLIt.

ANNO M. CCCCC, LVI. MENSE APRIL: XX. Die, *Tumulatur Roſtochij.*

NATALIVM SPLENDO-
RE, VIRTVTE ET DOCTRINA ORNA-
tiſſ: Viri D. PETRI CAPITANEI Mittelbur-
genſis Zelandi, Medicinæ Doctoris eximij, &
Archiatri in Dania Regij, Profeſſo-
riſque Academiæ HAFFNIEN-
SIS ordina-
rij &c.

EPITAPHIVM.

Non diſpar medica Capitaneus arte Galeno
 Petrus in hoc tumulo poſt ſua fata cubat.
Qui quantus fuerit ſcit Louanienſe Lycæum,
 Et Schola cui Paridis nomen ineſſe ferunt.
Extulit hunc plenis formoſa Valentia buccis,
 Doctoriſque illum iuſſit habere decus.
Vrbs quoque Vernoulo ſtupuit uicina docentem,
 Nec non æquoreis Haffnia cincta uadis.
Sæpius hic triſti morborum turbine Regem
 Exanimem, uitæ reddidit ille ſuæ.
Octo decemque ferè cum coniuge uixit in annos
 Viderit ut ſimilem uix pietate ſibi.
Ter tribus at tandem luſtris ſine labe peractis,
 Siſtitur æthereo, morte necante, polo.

Diſtichon.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

DISTICHON COMPLECTENS NVMERVM ANNI, MENſis, Diei & horæ obitus clariſſimi Viri &c.

OCCVbVit fatIs CapItaneVs aLta MICaret
IanI ſeXta VbI LVX, boraqVe nona foret.

ALIVD EODEM MODO.

EXtItIt beI ſeXtVs CVM CoeLo LVCIfer, bora
NonaqVe Iane bICeps, fVnera petrVs obIt.

ANNO M. CCCCC, LVII. MENSE IANVARIO, Die Sexto, hora 9. Tumulatur Haffniæ.

VIRTVTE ET DOCTRINA CLARISS: VIRI D. MAGIſtri BASILII BARTSCHII Reſſeliani Pruteni.

EPITAPHIVM.

ELoquio celebris, legumq; Baſilius arte
Lucida qui clarum nomen ad aſtra tulit.
Bartſchius hic placidè poſt funera ſumma quieſcit,
AEtatis numerans ter tria luſtra ſuæ.
Prima illi teneræ dedit incunabula uitæ
Succina quæ ripis terra Boruſſa legit.

 A pue-

A pueris coluit Muſas ſtudioſus honeſtas,
Hincq; Magiſterij contigit altus honos.
Iuridica peperit laudem famamq; paleſtra,
Legiferiq; fuit gloria magna fori.
Integros niueo geßit ſub pectore mores,
Inq; DEVM ſumma relligione fuit.
Cum ſocia lecti tria per ſexennia uixit
Dorothea, ad Viadri prætereuntis aquas.
Nunc iacet extinctus: ſed mors non omnia finit:
Mens cœlo, in terris fama ſuperſtes agit,

ANNVS, MENSIS ET DIES OBITVS.

MartIVs eXpLeto rapVIt te ſIne baſILI,
ACtenet eXVVIas ſIC noVa CeLLA tVas.

PROVENIENT. M LVII.
Menſe Martio, Die ultimo.
Tumulatur in NOVA CELLA
Monaſterio Luſatiæ &c.

ANTONIVS BALDERSLEBIVS SANGERHVSANVS C. *in memoriam optimorum & clariß: Virorum &c.* F. HAFFNIAE.

ANNO 1557.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 374 4°